

primum movens, seu prima causa in genere cause efficientis movet & applicat secundam, est pramotio physica; ut enim superius dicebamus, & per se patet, motio movens est natura & causalitate prior motu mobilis; ergo. Confirm. Primitiva causa in Deo, & subordinatio causarum secundarum ad illud in agendo salvari non potest per concursum simultaneum, neque per motionem moralem, neque per hoc quod Deus causis secundis dederit virtutem agendi: ergo per solam pramotionem physicam, seu concursum prævium. Conseq. patet a sufficienti enumeratione; nihil enim aliud est assignabile, per quod subordinatio causarum possit salvari. Prob. 1. pars Ant. Non per concursum simultaneum; quia concursus simultaneus non movet causam secundam, non influit in illam, non facit ut fiat, sed facit cum illa, & in solum effectum influit, alioquin non foret simultaneus, sed prævius, sicut habemus intentum; unde Deus per illum est concussa, sed non prima causa. Neque obstat, quod sit perfectior & dignior concursus cause secundæ, id quidem facit & ostendit, quod causa sit perfectior & dignior, seu prima in ratione dignitatis & perfectionis, non autem prima in causando & in genere cause efficientis, de quo agitur.

Dices concursus simultaneus est etiam ad actionem creaturæ, & non tantum ad eius effectum: ergo. R. D. Ant. concursus simultaneus est etiam ad actionem creaturæ, ut effectus est, C. Reduplicativè ut actio est, seu ut est formalitèr a causa secunda, N. Non enim per concursum simultaneum Deus movet causam secundam ad agendum, nec facit, ut fiat, sed facit tantum cum illa; alioquin, ut iam dictum est, non foret simultaneus, sed prævius: ad subordinationem autem in agendo non sufficit, quod producat actionem cum causa secunda, nec quod faciat cum illa; sed requiritur, quod illam movet & determinet ad agendum, & faciat, ut fiat. Confer de Scientia mediæ §. 6. & de Decretis art. 3. §. 4.

Prob. 2. pars Ant. Non per motionem moralem. Quia motio moralis potest quidem constituere subordinationem in ordine morali & in genere cause finalis, at non in ordine physico & in genere cause efficientis, de quo hic agitur; est enim Deus primus motor & prima causa in ordine physico, & in genere cause efficientis, & non solum in genere cause moralis & finalis. Alioquin foret tantum primus motor, & prima causa respectu agentium liberorum, quæ sola sunt capacia motionis moralis, non agentium naturalium. Confer de Decretis loco proxime cit. Prob. 3. pars Ant. Non per hoc, quod Deus causis secundis dederit virtutem agendi. 1. Quia hanc opinionem ut erroneam proscrit S. Thom. 3. contr. gent. c. 88. 2. quia id admisit Pelagius, & fuit damnatus. 3. Quia reincedit in sententiam Durandi negantis immediatum Dei influxum in actiones creaturarum, quam omnes improbant. 4. Tandem, quia non constituit subordinationem causarum secundarum primæ in causando, sed in essendo tantum, ut patet ex dictis. Confer de Decretis loco cit.

Secunda ratio sic proponitur: Omnis causa, quæ non est ex se actu agens, sed in potentia ad agendum, indiget pramotione physica, qua constituitur in ratione cause actualitèr agentis; atqui omnis causa creata non est ex se actu agens, sed in potentia ad agendum: ergo. Min. est certa; quia, si causa creata foret ex se & ex natura sua actu agens, semper & omnia quæ posset, actu ageret, quod enim ex se est tale, semper est tale, etsi non semper ageret omnia quæ posset, sed modo unum, postea aliud, agendo primum foret in potentia ad secundum. Sic igitur intellectus v. gr. actu semper omnia intelligibilia intelligeret, voluntas omnia appetibilia actu semper appeteret; ignis omnia combustibilia actu semper combureret; quæ omnia, ut experientia constat, non competunt cause create. Adde, quod, si causa secunda foret sua ultima agendi actualis, foret etiam sua ultima essendi actualis; quia operari sequitur ad esse, & ipsi proportionatur, sicut creatura foret actus purus & infinitus, ut arguit Auctor 1. p. q. 54. art. 1. Prob. Maj. & 1. est expressè S. Th. 1. 2. q. 9. art. 4. his verbis: *Omne, quod quandoquæ est agens in actu, & quandoquæ in potentia, indiget moveri ab aliquo agente.* 2. Causa, quæ non est ex se actu agens sed in potentia ad agendum, ut actu agat, debet intrinsecè mutari, & redire de potentia ad actum; tum quia actu agere, seu esse principium actuale agendi est intrinseca perfectio distincta a potentia operandi; tum quia, si hæc potentia operandi non mutaretur, semper remaneret in actu primo, & nunquam ageret; atqui hæc mutatio intrinseca fieri non potest nisi per pramotionem physicam: ergo. Prob. Min. Fieri non potest neque per ipsam actualem operationem, neque per concursum simultaneum, neque per motiones morales, neque per alias causas creatas, neque tandem per ipsam cause virtutem in actu primo: ergo per solam pramotionem physicam. Patet Conseq. a sufficienti enumeratione.

Prob. Ant. Per singulas partes. 1. Non per ipsam actualem operationem; quia ipsa operatio est id, ad quod ipsa causa debet mutari & determinari: ergo non per quod mutatur. Et ut tollatur æquivocatio, causa mutatur & actuatur quidem formalitèr per operationem, agens enim actione agit; sed non efficienter & applicativè, de quo est questio. 2. Non per concursum simultaneum; quia, ut iam dictum est, concursus simultaneus non influit in causam, sed in effectum cause: ergo illam non mutat intrinsecè. 3. Non per motiones morales; quia cause naturales non sunt capaces motionum moralium: & quantum ad causas liberas, non agunt physicè in voluntatem, sed moralitèr tantum & objective alliciendo; unde illam intrinsecè immutare non possunt, nisi interveniente aliqua motione, seu causa physica, hanc mutationem efficiente. 4. Non per alias causas creatas. Et quantum ad causas liberas videtur certum; quia nulla causa creata quantumvis perfecta & superior potest physicè agere in voluntatem, id est proprium soli Deo, qui creavit illam, ut sæpe docet S. Thom. Instupèr, si voluntas, quæ est in potentia ad agendum, intrinsecè mutaretur & reduceretur ad actum per causam creatam, perimeretur libertas; cum enim ista causa creata non esset sic universalis & potens, ut etiam modum actionis, scilicet ipsam libertatem attingeret; sicut dicitur fieri a Deo, omnino necessitèr: nisi forte Adversarii concedant creaturæ, quod denegant Deo. Quantum verò ad causas necessarias, neque istæ possunt constitui in ratione principii actualis per alias causas creatas; quia causa creata in actu non communicat cause in potentia suam actualitatem, sed solum virtutem agendi, ut modo amplius ostendam. 5. Tandem neque per suam virtutem; quia ista virtus est tantum activa in actu primo, seu in potentia ad agendum, ut supponitur; atqui nunquodque intrinsecè mutatur & reducitur de potentia ad actum per id, quod est in actu; movere enim & ad actum reducere, est actu agere, adeoque esse in actu: ergo.

Dices contra hanc ultimam partem. Causa creata non est in pura potentia passiva, sed etiam activa: ergo, quamvis non sit ex se in actu formalitèr, est tamen in actu virtualitèr, ratione cuius potest se ipsam reducere de potentia ad actum formalem. Sed contra 1. Quamvis causa creata dicatur potentia activa, quia in actu reducta potest elicere actionem & facere effectum, est tamen etiam passiva, quatenus est receptiva in se ultimæ actualitatis in agendo, quam cum ex se non habeat, sibi dare non potest. 2. Aliquid esse in actu virtualitèr potest intelligi duplici modo: 1. Virtualitèr eminentèr. 2. Virtualitèr potentialitèr. Virtualitèr eminentèr, quando in actu, seu forma superiori perfectius continet inferiorem, sic, v. gr. Angelus dicitur virtualitèr eminentèr discursivus, & hoc sensu causa creata non est virtualitèr in actu. Virtualitèr potentialitèr, quando habet virtutem, quæ mota, & excitata potest agere: & sic causa creata est virtualitèr in actu, v. gr. intellectus antequam intelligat, dicitur virtualitèr intelligens, voluntas antequam appetat, dicitur virtualitèr appetens. Porro, quæ sunt in actu virtualitèr eminentèr, non sunt in potentia ad illum habendum, quia in actu formæ superioris illum perfectius continent, quam si eum formalitèr haberent. Quæ verò sunt in actu virtualitèr potentialitèr tantum, sunt in potentia ad illum habendum, nec possunt illum habere a se ipsis, sed ab aliquo alio in actu: alioquin forent & non forent in actu; non forent in actu, ut supponitur, quia sunt in potentia ad illum; & forent in actu, quia actu agerent se reduciendo de potentia ad actum.

Repones, his rationibus evinci tantum Deum primas causas sibi immediatas, & eas dumtaxat ad actus primos pramovere, non verò quod ad quoslibet actus & ad quamlibet causam requiratur pramotio: quia cause superiores in actu factæ & se & alias inferiores poterunt actuare. Sic in naturalibus Deus promovet solem, sol in actu excitat suo calore plantam. In liberis voluntas a Deo pramovetur ad primum actum, puta, ad bonum in communi, voluntas sic in actu posita & se & alias potentias, rationem, imaginationem, vim motricem, &c. movet & reducit in actum sine illa immediata Dei motione. Sed contra 1. hæc responsio admittit pramotionem physicam, si non in omni sua extensione, saltè quoad substantiam, sicut pro parte saltè, eaque principii, vicinias. Si enim Deus pramoveat physicè causas etiam liberas ad primos actus, illæ liberas, tunc quod pramoveat ad omnes, paritèr manebit illæ liberas, est enim eadem ratio omnium; sicut ruit præcipuum fundamentum adversariorum contra pramotionem physicam, petitum ex lesione libertatis. Item, si aliquas causas & ad aliquos actus pramoveat, debet pramovere omnes & ad omnes actus; quia omnes in omnibus suis actibus æqualitèr subordinantur illi in agendo, ut prius dictum est. Contra 2. Causa creata quantumvis in actu posita non potest neque se ipsam, neque alias causas ad ultio-

riorem actualitatem agendi reducere; quia id, quod causa creata in actu posita communicat, sive sibi in ordine ad ulteriorem actum, seu actualitatem, sive causis inferioribus, nihil est aliud, quam participatio virtutis, quæ agit, non autem actualitatis, in qua est; quia ultima actualitas agendi, in qua est, non est sua, nec ipsi propria; est enim tantum ex se activa in actu primo; sed a solo Deo tanquam a primo, & essentialitèr agente immediatè participata; sicut ultima essendi actualitas in omni ente, id est, existentia, sive a solo Deo, sive mediantibus causis secundis, res producatur, est immediatè a Deo ut ab ente primo, & per essentiam, tanquam proprius eius effectus; ultima enim actualitas in agendo correspondet primo, & essentialitèr agenti, sicut ultima actualitas in essendo, scilicet existentia, correspondet primo, & essentialitèr enti. Undè S. Thom. 1. 2. q. 109. art. 1. o. ait: *Quantumcumque aliqua natura sive corporalis, sive spiritalis ponatur a Deo, non potest in suum actum procedere, nisi moveatur a Deo.* Contra 3. vel iste prior actus, in quo supponitur causa creata, infert infallibilitèr actum ultimum sive in se, sive in causis inferioribus, vel non. Primum dici non potest; quia causa creata quantumvis perfecta est ex se fallibilis, contingens, & impedibilis. Si secundum dicatur, ergo debet dari alia motio a Deo infallibilitèr movens, ut in ea, vel in eius decreto cognoscat infallibilitèr actum ponendum.

Tertia ratio pro causis liberis præcedenti affinis: Causa ex se indifferens, & indeterminata ad agendum, vel non agendum, ad hoc, vel illud agendum, non potest determinari ad unum potius, quam ad aliud, nisi per pramotionem physicam; atqui homo est indifferens ad agendum, vel non agendum, ad hoc, vel illud agendum: ergo. Min. est certa; in hac enim indifferencia sita est libertas hominis. Prob. Maj. Causa ex se indifferens, & indeterminata ad hoc, vel illud non potest se ipsam determinare ad unum potius, quam ad aliud; quia, cum supponatur indifferens, non est ratio, cur in hoc potius, quam in illud propendat, nec a causa indifferenti ut tali potest magis procedere effectus determinatus, quam calidum ex frigido. Ne-

que determinari potest per concursum simultaneum; quia ex ipsis Adversariis concursus simultaneus offertur indifferenter ad utrumlibet, & aliunde non influit in causam, ut illam determinet, sed supponit determinatam. Neque per motiones morales; quia, ut iam dixi, motiones morales non movent voluntatem nisi objective, & alliciendo, non intrinsecè eam immutando; unde, posita quacumque motione morali, voluntas est adhuc indeterminata, & indifferens ad hoc, vel illud. Restat ergo, quod per solam pramotionem physicam possit determinari.

Quarta ratio: Deus est causa efficiens immediata, & universalis omnis entis, & omnium ejus modorum: ergo est causa physica immediata actionis reduplicativè ut actio est, & prout formalitèr procedit, & dependet a voluntate, actio enim sub ista ratione, & hæc ejus processio, & dependentia a voluntate est aliquid in rerum natura, nempe modus entis, & ipsa libertas in exercitio, per quam mereamur, vel demeremur; atqui non potest esse causa efficiens immediata actionis sub ista formalitate nisi per pramotionem physicam, per quam applicat voluntatem ad agendum, & facit, ut fiat; per concursum enim simultaneum facit cum facit, non facit, ut faciat; per motiones autem morales est causa moralis tantum, non efficiens, & physica. Confer de Decretis Dissert. 8. art. 3. §. 4. primam responsionem adversariorum.

Nota: omnia ferè, quæ dixi contra scientiam mediam, pro decretis prædeterminantibus, & pro gratia per se efficaci, militant pro pramotione physica, ideò conferenda. Quantum ad objectiones, quæ petuntur ex auctoritate, ex lesione libertatis, ex insufficientia auxilii, & ex affinitate cum Calvinismo, solutas habes Dissert. cit. de Decretis art. 4. Quæ verò petuntur ex lesione sanctitatis divine, solutæ sunt ibid. art. 5.

Qui plura cupit, adeat Sylvium de motione primi motoris, P. Antonium Massoulié in opere, *D. Thom. sui interpretis* Tom. 1. Dissert. 1. & 2. sed potissimum P. Antonium Goudin in *Metaphysica* Disp. 2. q. 3. qui hanc materiam, meo iudicio, non minus solidè, quam dilucide, & ad captum omnium tractavit.

DISSERTATIO VI.

DE CAUSA GRATIÆ.

D. Thom. Quest. 112.

ARTICULUS I.

Utrum solus Deus sit causa principalis efficiens gratiæ?

Questio est de gratia habituali, & non nisi indirectè de gratia actuali, quatenus scilicet est motus ad habitualem ut ad formam, & terminum. Item questio est de sola causa principalis efficiente; nam de aliis causis certò constat. Causa finalis gratiæ proxima est salus æterna habentis illam; ulterior Christus; ultima Deus; juxta illud 1. Cor. 3. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* Causa materialis est ipsa essentia animæ. Causa formalis nulla est; quia gratia est simplex forma, non compositum, in quo solo reperitur causa formalis. Causa instrumentalis est humanitas Christi, & Ecclesiæ Sacramenta, ut docet Auctor hic art. 1. ad 1. & 2. & 3. p. q. 62. art. 5. Causa ministerialis sunt Angeli, & homines: Angeli ministrando illustrationes, quibus perveniamus ad gratiam; homines non solum instruendo, & orando, sed & ministrando Sacramenta. Causa tandem meritoria principalis est Christus, ut docet Auctor infra q. 114. art. 6. & definit Trid. Sess. 6. c. 7. conformitèr Apostolo dicenti Ephes. 1. *Qui (Deus) benedixit nos in omni benedictione spiritali in celestibus in Christo.* Causa autem meritoria minus principalis potest esse homo justus, qui & sibi potest mereri de condigno augmentum gratiæ, & alteri de congruo primam gratiam. His præmissis, Dico: Solus Deus potest esse causa principalis efficiens gratiæ. (*Hic quest. 112. art. 1. o.*) Prob. 1. ex Scriptura Job. 14. dicitur: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine: Nomen tu qui solus es Psalm. 83. Gratiam, & gloriam dabit Dominus.*

Prob. 2. Ratione. (*Ibid.*) Nihil potest propria virtute efficienter producere aliquid, quod sit nobilius, perfectius, & alterioris ordinis, quam ipsum sit. Causa enim principalis efficiens est majoris, seu saltè æqualis perfectionis cum effectus; atqui gratia est quid nobilissimum, perfectissimum, & alterioris ordinis quam quodvis agens creatum, cum sit participatio divini nature. Theol. Billuart. Pars Secunda.

ture, ut supra dictum est: ergo. Confirm. Illius solum est producere gratiam per modum cause principalis, cuius est dedicare, dare jus ad hereditatem, & peccata dimittere; atqui id solius Dei est proprium: ille enim solus potest alios dedicare, qui per se ipsum est Deus, sicut id solum potest ignire, quod est per se ignis: ille solus potest dare jus ad hereditatem, qui hereditatis est dominus: ille solus peccata dimittit, quem peccata offendunt: ergo.

Dices, his rationibus evinci creaturam non posse causare gratiam virtute propria nature, at non virtute supernaturali permanentèr superaddita, & quæ sit ipsi propria. Sed contra, & magis roboratur Conclusio. Illa virtus supernaturalis superaddita foret, vel gratia, vel alia qualitas distincta a gratia. Primum dici non potest, quia gratia non est immediatè operativa, sed mediantibus tantum virtutibus supernaturalibus; & alias sequeretur, quod Angelus, vel homo justus posset in alio producere gratiam principalitèr efficienter, quod nemo admittit. Non secundum; quia quacumque qualitas a gratia distincta est imperfectior gratia; cum gratia, ut dictum est, sit participatio divine nature. Neque dicas, quod, sicut gratia est participatio divine nature, ita ista qualitas possit esse participatio divine virtutis, puta omnipotentæ, per quam Deus gratiam, & omnia munia illi annexa præstat. Nam, esto ita sit, ista qualitas supernaturalis esset tantum participatio imperfecta hujus virtutis, seu omnipotentæ, ideòque insufficientis ad efficiendam participationem divine nature, quæ non potest conferri principalitèr nisi ab habente divinitatem: sicut nihil potest ignire principalitèr, id est, participationem ignis producere, nisi solus ignis. Nec refert, quod Justus habeat participationem divine nature; habet quidem quædam participationem nature, sed non habet naturam; & sic, licet possit illa frui in se, non potest tamen illam aliis communicare; sicut frui adoptivus non potest adoptare.

Obj. 1. Christus pluries in Scriptura commendatur ut auctor, & causa gratiæ. Joann. 1. *Gratia per Jesum Christum facta est.* Item: *De plenitudine ejus acceptimus:* ergo. R. Christus

ratione divinitatis esse causam principalem gratiæ; ratione humanitatis esse causam instrumentalem, & meritoriam. (*Ibid.* ad 1.)

Inst. 1. S. Thom. in 4. d. 5. q. 2. art. 2. quæstione. 2. dicitur: *Agens principale baptizando est ipse Deus per auctoritatem, & ipse Christus secundum quod homo*: ergo. R. S. Thom. non dixisse, quod Christus ut homo sit agens principale per auctoritatem, sed per meritum; addit enim: *Cujus meritum operatur in Baptismo*.

Inst. 2. Christus ut homo est caput aliorum hominum; atque capitis est influere vitam in membris: ergo. R. D. Min. De ratione capitis est influere vitam in membris ut causa principalis, N. Ut instrumentum præcipuum animæ, C. Sic autem Christus quatenus homo, ut instrumentum conjunctum, & præcipuum divinitatis, influit in nobis gratiam. (3. p. quæst. 8. art. 1. ad 1.)

Inst. 3. Gratia capitalis Christi, per quam influit in nobis gratiam, est nobilior nostra; atque causa principalis est, quæ agit per formam nobiliorem effectu: ergo. R. D. Min. Causa principalis est, quæ agit per formam nobiliorem effectu, si ista forma nobilior sit per se effectiva effectus, C. si non sit per se effectiva effectus, sed ut mota, & elevata per virtutem superadditam, N. Tunc enim agit ut instrumentum, & non ut causa principalis. Porro gratia non est per se effectiva alterius gratiæ in alia persona, alioquin quivis justus posset gratiam alteri conferre. Quod ergo gratia Christi cooperetur ad producendam gratiam in nobis, non habet ex se, sed ex divina virtute per eam tanquam per instrumentum operante, sique instrumentaliter tantum concurrat ad productionem gratiæ in nobis.

Obj. 2. Ille est causa principalis alicujus formæ, qui est causa principalis ultimæ dispositionis ad illam; atque homo est causa actus contritionis ultimæ dispositionis ad gratiam; est enim contritio actus vitalis elicitus a potentia vitali ut a causa principali: ergo. R. 1. D. Maj. Ille est causa principalis alicujus formæ, qui est causa principalis ultimæ dispositionis ad illam, si forma resultat naturaliter ex tali dispositione, & educatur de potentia naturali subjecti, C. Maj. Si forma non resultat naturaliter ex tali dispositione, & non educatur de potentia naturali, sed obedientiali subjecti, N. Maj. Quia potentia obedientialis soli Deo subicitur: Gratia autem non resultat naturaliter ex dispositione posita ab homine, nec educitur de potentia ejus naturali, sed obedientiali, ut dicam art. seq. R. 2. D. Min. Homo est causa principalis actus contritionis ultimæ dispositionis ad gratiam, ut est actus vitalis, C. Ut est dispositio ad gratiam, N. Ut sic enim solus Deus est causa principalis, quatenus per suam motionem elevat potentiam hominis ad actum supernaturalem, eaque utitur tanquam instrumento ad hunc actum ut talem producendum. Solutio est D. Thom. hic art. 3. o. ubi dicitur: *Actus liber præparans ad gratiam dupliciter potest considerari. 1. Secundum quod est a libero arbitrio, & sic nullam habet necessitatem ad gratiæ consecutionem, quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humane. Alio modo potest considerari ut est a Deo movente, & tunc habet necessitatem ad id, ad quod a Deo ordinatur, scilicet gratiam. Confer, quæ dicam art. subseq. Obj. 2.*

ARTICULUS II.

Utrum gratia creetur, vel educatur de potentia obedientiali animæ?

Creatio est productio entis ex nihilo, seu ex nullo præsupposito subjecto. Educatio vero est productio formæ dependenter a subjecto. Potentia passiva est duplex, una naturalis dicens ordinem ad agens naturale; altera obedientialis dicens ordinem ad agens supernaturale. Non videtur dubium, quin Deus possit potentia absoluta creare gratiam; quia, quamvis sit accidens dependens a subjecto, sicut tamen Deus potest absolute efficere, ut accidentia existant independentè a subjecto, ut patet in accidentibus Eucharisticis, ita potest absolute independentè a subjecto illa producere. Sed hic modus foret miraculosus, non connaturalis, & secundum potentiam ordinariam, de quo queritur. Quidam ergo tenent gratiam creari, quidam concreari, alii, & communius educi de potentia animæ: cum quibus

Dico: Gratia non creatur, nec concreatur, sed educitur de potentia obedientiali animæ. Est D. Thom. infra q. 113. art. 9. ubi opponit justificationem creationi ut actionem distinctam, & dicit creationem ex parte modi operandi esse majus opus justificatione, quia creatio fit ex nihilo, non justificatione: licet ex parte rei productæ justificatio sit majus creatione oculi, & terræ. Et q. 27. de verit. art. 3. ad 9. Item q. de virtutibus in communi art. 29. ad 3. docet habitus supernaturales, quorum

præcipuus est gratia, educi de potentia obedientiali subjecti.

Prob. (1. p. q. 45. art. o.) Creari est proprium rei subsistentis; atque gratia non est res subsistens, sed accidens inherens, ut omnes concedunt: ergo. Prob. Maj. Creari est quoddam fieri, fieri ordinatur ad esse, imò est esse inchoatum; undè illis solis propriè convenit fieri, & creari, quibus convenit esse; atque esse propriè convenit solis subsistentibus, sive sint simplicia ut substantiæ separatae, sive composita ut substantiæ materiales: ergo. Prob. Min. Illi propriè convenit esse, quod habet esse, & subsistens, in suo esse; atque accidentia non dicuntur entia, quasi ipsa sint, sed quia eis aliquid est; ut albedo ea ratione dicitur ens, quia ea subjectum est album; undè secundum Philosophum 7. Metaphys. accidens magis dicitur ens, quam ens: ergo. Quod enim non concreatur, patet; quia forma inherens concreari dicitur, quando producit per actionem subjecti creativam; atque actio producens in nobis gratiam non creatur, sed supponit ejus subjectum, scilicet animam: ergo.

Et hinc sequitur, quod educatur de potentia obedientiali animæ: Creatio enim, & educio contradictoriè opponuntur creatio est fieri ex nullo præsupposito subjecto; educio e contra est fieri ex aliquo præsupposito subjecto; atque gratia non creatur: ergo educitur. Confirm. Educi est fieri dependenter a subjecto; atque gratia in suo fieri connaturaliter dependet a subjecto: ergo. Prob. Min. Ab eo gratia dependet in fieri, a quo dependet in esse; utriusque enim eadem est ratio, si connaturaliter fiat; atque in esse dependet a subjecto: ergo.

Obj. 1. Gratia dicitur in Scriptura creari, Psalmo 50. *Copiamus crea in me Deus*. Galat. 6. *In Christo nova creatura*. Ephes. 2. *Creata in Christo Jesu*: ergo. R. gratiam dici creari quasi moraliter; quia nullum meritum supponit: At non creatur physice, quia subjectum supponit. Unde etiam rarius exprimitur in Scriptura per creationem, sæpius per generationem, vivificationem, reformationem, resuscitationem, & similes terminos. (*Hic q. 110. art. 2. ad 3.*)

Inst. Gratia non continetur in potentia animæ, est enim supernaturalis: ergo. R. D. Ant. Gratia non continetur in potentia activa animæ, C. Passiva, subsistit: In potentia naturali, seu comparatè ad agens naturale, C. obedientiali, seu comparatè ad agens supernaturale, scilicet Deum, N.

Repones. Educi de subjecto dicit aliquam causalitatem ultra receptionem; atque nulla animæ potentia potest sua causalitate concurrere ad productionem gratiæ: ergo. R. D. Min. Nulla animæ potentia potest sua causalitate concurrere ad productionem gratiæ, sub ratione ipsi gratiæ propria, seu ut est participatio divinæ naturæ, Transeat: Sub ratione formæ inherens, N. Sic enim ad illam concurrat, sicut concurrat ad educationem omnium aliarum formarum accidentalium: maxime, cum causalitas subjecti in educatione formæ nihil sit aliud, quam dependentia istius formæ, sicut in esse, ita in fieri, a subjecto.

Obj. 2. Gratia est donum Dei præstantissimum: ergo produci debet per actionem præstantissimam; atque creatio est præstantior educatione: ergo. R. D. Consequens: ergo produci debet per actionem præstantissimam, quæ sit ejus conditioni accommodata; C. Secus, N. Creatio autem non est accommodata formæ inherenti, ut probavimus, sed sola educio.

Obj. 3. Illud incipit per creationem, quod desinit per annihilationem; atque gratia desinit per annihilationem ex S. Thom. in 2. d. 26. q. unica art. 2. ad 5. ubi dicit, quod, *cum gratia corrumpitur, simul etiam in nihilum redit*: ergo. R. S. Thom. ibi sumere annihilationem latè pro ipsa corruptione formæ, quæ totum sum esse formale amittit, ita ut nulla pars ejus in se remaneat, sed tantum in potentia subjecti. Ita Conradus apud Gonet.

Obj. 4. Eo modo in nobis producit gratia, quo producta fuit in Angelis, & in Adamo; atque in his non fuit producta per educationem: ergo. Prob. Min. Actio educitiva est transmutativa subjecti; atque productio in Angelis, & in Adamo non fuit transmutativa subjecti: quia debuisset subjectum in aliquo instanti præcessisse sub privatione formæ, quod non contigit, cum in ipso creationis momento fuerint donati gratia: ergo. R. data Maj. quæ posset negari, N. Min. Ad prob. D. Subjectum debuisset præcessisse sub privatione formæ, ut actu transmutaretur, C. Ut actio quantum ex se esset transmutativa, N. Ad id enim sufficit, quod sit actio distincta ab ea, qua subjectum producit, & quod non habeat inviolabilem nexum cum illa: sic autem actio creativa Adami, & Angelorum fuit distincta ab actione productiva gratiæ in illis, nec habuit inviolabilem nexum cum illa: poterant enim Angeli, & Adam creari sine gratia.

AR-

ARTICULUS III.

Utrum ad gratiam requiratur aliqua præparatio, seu dispositio ex parte hominis?

Quantum ad gratiam actualem certum est, quod nulla præparatio requiratur ex parte hominis, quasi præveniens divinum auxilium: (*Hic art. 2. o.*) sed potius quæcumque præparatio, quæ in homine esse potest, est ex illo auxilio Dei moventis animam ad bonum, ut amplius explicavimus art. 7. Dissert. 4. Quæstio est itaque de dispositione ad gratiam habitualement. Satis quidem convenit inter Theologos, requiri dispositionem ex parte hominis, sed quidam volunt, hanc dispositionem esse tantum motalem & ex institutione divina, non physicam.

Dico 1. (*Ibid.*) Juxta communem Providentiæ cursum requiritur ex parte hominis adulti sui compositi quædam dispositio ad gratiam; quæ dispositio est actus & motus liberi arbitrii in Deum. Utraque pars videtur de fide, decisa in Concil. Trid. Sess. 6. cap. 6. his verbis: *Disponuntur autem (adulti) ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, atque adjuvi, fidem ex auditu concipientes, liberi moventur in Deum*. Et Can. 9. *Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat, nihil aliud requiri, quod ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, & nulla ex parte necesse esse cum suo voluntatis motu præparari, atque disponi, anathema sit*. Id etiam aperte innotuit Scriptura 1. Reg. 7. *Præpare cor vestra Domine*. Zach. 1. *Convertimini, & ego convertar ad vos*. Similiter passim SS. Patres.

Prob. 1. pars ratione. (*Ibid.*) Forma perfecta & completa dans esse fixum & permanentem juxta communem Providentiæ cursum non introducitur in subjectum nisi dispositum & præparatum; atque gratia habitualis est forma perfecta & completa, dans esse supernaturalis fixum & permanentem: ergo. Min. constat. Maj. etiam patet tam in naturalibus, quam in supernaturalibus. Sic in naturalibus formæ substantiales, sive animatæ, sive inanimatæ, non introducuntur in materiam nisi dispositam. In supernaturalibus divina essentia ut forma intelligibilis non uniter intellectus beato, nisi per lumen gloriæ disposito. Id etiam exigit rectus ordo, ut ab uno extremo ad aliud extremum, a privatione ad formam, non fiat transitus nisi quibusdam mediis, quibus extrema conjungantur; subjectum autem dispositum est quoddam modo medium inter formam & ejus privationem.

Prob. 2. pars. (*Infr. q. 113. art. 3.*) Conferitur gratia homini adulto a Deo movente ipsum; atque Deus movet omnia secundum modum cuiusque; homo autem est secundum naturam liberum arbitrii, ideoque proprium est illi moveri per liberum arbitrium: ergo in adulto non fit a Deo motio ad gratiam sine motu liberi arbitrii. Confirm. Secundum communem Providentiæ cursum forma non introducitur in subjectum, nisi juxta proprium modum dispositum; atque proprius modus, quo homo sui compositus se disponit ad bonum, est per actum liberi arbitrii: ergo.

Dices: Agens infinite virtutis nullam requirit dispositionem; atque Deus, qui est causa gratiæ, est agens infinite virtutis: ergo. R. D. Maj. (*Hic q. 112. art. 2. ad 3.*) Agens infinite virtutis nullam requirit dispositionem, præsuppositam ex alterius causæ actione, C. quam ipsemet causat secundum conditionem rei causandæ, N. Et hoc quidem non ex indigentia, sed secundum legem communem. Undè dixi in conclusione: secundum communem Providentiæ cursum. Negari enim non debet, quin Deus de potentia absoluta possit conferre gratiam non disposito ut dormienti, cum in hoc nulla sit repugnantia.

Dixi etiam in conclusione: *Ex parte hominis adulti sui compositi*. Nam constat, infantibus non conferri gratiam per Baptismum, mediante dispositione liberi arbitrii, cuius non sunt capaces; sicut nec amentes perpetui.

An autem requiratur in eis aliqua altera dispositio? Quidam negant ex D. Thom. in 4. d. 17. q. 1. art. 2. quæstione. 1. dicente, quod in illis, qui non per propriam voluntatem culpam incurruerunt, & usum voluntatis non habent, non exigitur ex parte eorum aliqua præparatio; sicut de pueris patet in Baptismo. Alii probabilis affirmant ex ipsa ratione S. Doctoris hic, quæ est generalis, scilicet quod forma secundum communem Providentiæ cursum non introducitur in subjectum nisi dispositum. Et ad textum S. Thom. respondent, quod S. Doctor ibi excludat tantum præparationem, quæ sit per motum liberi arbitrii. Sed quæ sit illa alia dispositio, non conveniunt. Quidam dicunt, esse ipsam susceptionem passivam Sacramenti. Alii, esse virtutes infusas, ipsam gratiæ infusionem comitantes, quæ, licet in genere causæ efficientis gratiam sequantur, præcedunt tamen ipsam ut formam in genere causæ materialis & dispositivæ. *Theol. Billuart. Pars Secunda.*

siivæ; sicut in naturalibus, v. gr. calor ad octo consequitur formam ignis in genere causæ efficientis, præcedit in genere causæ dispositivæ. Omitto quosdam alios improbabilis dicendi modos quorundam antiquorum.

Dico 2. Actus liberi arbitrii moti a Deo disponunt ad gratiam, non solum moraliter & ex institutione divina, sed physice & ex natura sua; non tamen ad eam effective concurrunt, sed dispositivè tantum. Prob. 1. pars. Inchoatio est dispositio physica, & ex natura sua ad consummationem motus in terminum; atque actus liberi arbitrii moti a Deo est quædam inchoatio ordinis gratiæ; se habet enim ad gratiam ut motus ad terminum: ergo. Prob. 2. pars. 1. Ex Concil. Trid. Sess. 6. c. 7. ubi describens causas justificationis, nullam aliam efficientem agnoscit nisi Deum ut principalem, & Sacramentum ut instrumentalem: *Hujus justificationis, inquit, cause sunt... efficiens misericors Deus... instrumentalis Sacramentum Baptismi*. Agens autem capite præcedenti de actu liberi arbitrii, eum refert ad causam dispositivam, quam distinguit ab efficiente.

Prob. 2. ex D. Thom. q. 28. de verit. art. 8. ad 2. & ad 7. ubi dicit: *Motus liberi arbitrii non est causa efficiens infusionis gratiæ. Undè contritio non est causa efficiens remissionis culpe, sed virtus clavium, vel Baptismus*. Idem in 4. d. 17. q. 2. art. 3. quæst. 1.

Prob. 3. Ratione. Tam gratia, quam virtutes supernaturales sunt habitus, non a nobis acquisiti, sed a Deo infusi. Undè communiter recipitur definitio hæc virtutis supernaturalis, tradita ab Aug. *Bona qualitas mentis, quam Deus in nobis sine nobis operatur*; atque, si actus nostri efficienter concurrerent ad illas, potius dicerentur acquisite, quam infusæ, nec Deus illas in nobis sine nobis efficeret: ergo.

Prob. 4. Repugnat, quod actus efficiat potentiam activam, cuius est proprius & connaturalis actus & effectus; atque habitus supernaturales non habent rationem puri habitus respectu actuum supernaturalium, sed etiam potentiam: ergo. Prob. Min. ex discrimine, quod est inter actus & habitus supernaturales & naturales. Actus naturalis supponit facultatem sui productivam, sed indifferenter & determinabilem per habitum; undè non repugnat ipsi, quod producat habitum, quia producendo habitum, non producit propriè potentiam sui productivam, sed illam tantum determinat. At vero actus supernaturalis nullam supponit in naturali facultate potentiam sui productivam, quam determinet; undè, cum elicitur specialiter per motionem Dei actualem, si produceret habitum, produceret ipsam potentiam; quod, ut dixi, repugnat, nec in ipsa natura habet exemplum. Si dicas, id probare de habitibus supernaturalibus, qui sunt virtutes operative, & ideo habent rationem potentie; non verò de gratia, quæ non est operativa. Contra est, quod gratia sit radix & principium aliorum habituum supernaturalium, ideoque radicaliter potentia operativa. Undè, si actus supernaturales non possint producere habitum supernaturalem operativum, a fortiori nec gratiam.

Obj. contrà 1. partem Concl. 1. Dispositio physica recipitur in eodem subjecto cum forma, ad quam disponit; atque actus liberi arbitrii disponentes ad gratiam non sunt in essentia animæ, in qua subjectatur gratia, sed in eis potentibus: ergo. 2. Dispositio physica est dispositio, non solum pro productione rei, sed etiam pro ejus conservatione; atque actus liberi arbitrii requiruntur tantum pro productione gratiæ, sed non pro conservatione: ergo. 3. Dispositio physica est necessaria in omni recipiente formam; atque motus liberi arbitrii non requiritur in parvulis ad gratiam: ergo. 4. Inter dispositionem physicam & formam est naturalis & necessaria connexio; atque inter actus hominis & gratiam non est necessaria connexio; potest enim Deus homini disposito denegare gratiam: ergo. R. ad 1. D. Maj. Dispositio physica recipitur in eodem subjecto quod, hoc est, in eodem supposito cum forma, C. In eodem subjecto quo, N. Sic dispositio ad formam substantialem non recipitur immediate in materia, in qua recipitur forma substantialis, sed in toto composito. Ad 2. N. Maj. universaliter sumpta; plura enim requiruntur, ut res fiat, quam ut conservetur. Sic mollities in cera requiritur, ut imprimatur sigillum, non ut conservetur sigillato; calor requiritur, ut fiat carbo, non ut conservetur. Ad 3. N. pariter Maj. universaliter sumpta; calor enim v. gr. requiritur, ut mollescat cera, non lutum; hoc remedium requiritur, ut sanetur iste homo, non alter. Ad 4. D. Maj. Inter dispositionem physicam concomitantem & formam est necessaria connexio, C. Et sic etiam est inter dispositiones concomitantes gratiam & ipsam gratiam. Inter dispositionem physicam præviã & formam, N. Sed satis est, ut subjectum efficiat magis aptum ad recipiendam formam. Sic perlicuitas est dispositio ad lucem, mollities cere ad sigillationem, nec tamen illa cum luce, nec ista cum sigillatione necessario connectuntur.

Oooo 2

Obj.

Obj. contra 2. partem Concl. Juxta Trid. Sess. 6. can. 4. homo non se habet merè passive, sed cooperatur ad suam justificationem. Et D. Thom. 3. part. quæst. 86. art. 6. dicit, quod remissio peccati sit effectus contritionis; & ibid. quæst. 85. art. 2. ad 3. quod penitentia expellit omne peccatum: ergo. R. hæc omnia verificari, quatenus homo efficit dispositiones ad gratiam justificationis; non autem quod illam gratiam efficiat, seu acrivè sibi conferat.

Subsumes; atqui dispositio concurrens effectivè ad formam; agens enim non producit formam nisi per dispositiones, ut ignem per calorem: imò homo dicitur generare efficienter hominem, quamvis ponat tantum dispositiones ad formam: ergo. R. 1. D. Maj. Dispositio concurrens effectivè ad formam, quando causans dispositionem habet in sua virtute formam vel producendam, vel utriendam, C. Secus, N. Non enim dispositio ut talis, sed sola virtus agentis per ipsam effectivè attingit formam: certum est autem, quod gratia non continetur in virtute hominis, sed solius Dei. Si dicas, hominem non quidem continere gratiam in virtute sue nature, sed in virtute motionis divine. R. quod motio divina terminatur ad actum dispositivum, puta contritionis, nec nisi eo mediante ulterius tendat. Ostendimus autem, actum supernaturalem non posse efficere habitum supernaturalem, quia efficeret potentiam sui connaturaliter productivam. R. 2. D. aliter eandem Maj. Dispositio activa concurrens effectivè ad formam, C. Dispositio passiva, N. Sic mollietas in cera respectu forme sigilli, plantatio & irrigatio respectu incrementi plantarum, non concurrunt effectivè ad formam, quia sunt dispositiones passivæ tantum; hujusmodi autem sunt actus hominis respectivè ad gratiam: contritio cor emollit & disponit ad sigillationem gratiæ: homo plantat & rigat; Deus autem incrementum dat. 1. Cor. 3.

Quærit S. Doct. art. 3. hujus Quæst. Utrum se preparanti & facienti, quod in se est, necessario detur gratia: sed hæc difficultatem resolvimus supra Dissert. 5. art. 7. reponere.

Quæritur art. 4. Utrum gratia sit major in uno, quam in alio? Respondet affirmativè. Id passim indicant Scripturæ, & definitivè Concil. Trid. Sess. 6. cap. 6. Ratio est; quia commune est omni objecto, ut plùs, vel minus formam recipiat, secundum quod est plus, vel minus dispositum ad illam. Proxima ergo ratio hujus inæ qualitatis gratiæ est inæ qualitas dispositionum ex parte hominis. Prima & remota est voluntas Dei, quæ non solum gratiæ, sed etiam dispositionis ad illam est Auctor, tribuens diversis prout vult, sicut inæ qualem gratiam ita & inæ qualem dispositionem ad illam, ut ex diversis gradibus pulchritudo & perfectio Ecclesiæ consurgat; sicut etiam diversos gradus rerum instituit, ut esset Universum perfectum.

ARTICULUS IV.

Utrum aliquis possit esse certus, se esse in gratia

Certitudo est duplex; una simpliciter dicta & absoluta, cui non potest subesse falsum, & excludit omnem formidinem de opposito; qualis est certitudo, quæ habetur per revelationem, aut per discursum Theologicum, aut per evidentiam rei. Ad hæc reduci potest certitudo, quæ petitur ex tot & tantis testimoniis, ut, quamvis physicè loquendo possit ei subesse falsum, non tamen moraliter loquendo; unde excludit omnem formidinem de opposito; talis est certitudo v. gr. quam habeo de existentia Romæ. Altera est certitudo secundum quid, seu moralis & conjecturalis, quæ nititur momentis, signis, & conjecturis, gravibus quidem, at non ita firmis, quin possit etiam moraliter loquendo eis subesse falsum. Et hoc, ut patet, major est, vel minor pro ratione momentorum, quibus nititur.

Lutherani & Calvinistæ tria circa præsentem materiam asserunt. 1. hominem certa & indubitata fide posse scire se esse in gratia: 2. unumquemque id de seipso teneri credere, alioquin nec est justus, nec fidelis: 3. hæc sola fide homines justificari. Duo ultima anathemate confixit Trid. Sess. 6. can. 13. & 14. Primum, quamvis in canonibus sub anathemate non damnet, at tamen c. 9. sat manifestè improbat, ut videbimus modo.

Certum suppono, hominem ex speciali privilegio & revelatione posse habere omnimodam certitudinem se esse in gratia. (Hæc art. 5. o.) Talem habuit B. V. cui Luc. 1. dicitur est ab Angelo, quod esset gratia plena. Item Paralyticus & Mulier Peccatrix, quibus Christus Math. 9. & Luc. 7. dixit peccata eorum esse remissa. Quæstio est igitur de certitudine habita per viam ordinariam. Præter Hæreticos, ex Catholicis Catharinus contendit hominem posse esse certum se habere gratiam certitudine absoluta, non fidei immediatè, sed

mediante discursu Theologico: Vega, certitudine morali, quæ omnem excludat formidinem, qualis est certitudo de existentia urbis Romæ. Contra quos cum communi sententia

Dico: (Ibid.) Nemo, seclusa speciali revelatione, potest esse certus, se esse in gratia certitudine absoluta, cui non possit subesse falsum, aut saltè quæ excludat omnem formidinem; sed solum certitudine secundum quid, morali & conjecturali. Prob. 1. pars ex Script. Eccl. 9. dicitur: *Sunt justi atque sapientes & opera eorum in manu Dei, & tamen necit homo, utram odio, vel amore sit dignus.* Neque dicas, impium posse scire, se esse odio dignum. Hic enim, ut patet ex terminis, non est sermo de impiis, sed de justis & sapientibus. Unde sensus est, neminem, etiam eorum qui habentur justi & sapientes, scire, an sit dignus amore, & non potius odio. Eccl. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu.* Philipp. 2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* 1. Cor. 4. *Sed neque me ipsum judico: nihil enim mihi conscius sum, sed nun in hoc justificatus sum: qui autem me judicat, Dominus est.* Itaque nolite autè tempus judicare, quoad naque veniat Dominus, qui & illuminabit abscondita tenebrarum. Si dicas, Apostolo, priusquam hæc diceret, fuisse revelationem suam justitiam. R. Hieronymum, Chrysost. Aug. Greg. Bernard. Estium, a Lapide, & alios apud Sylvium licet id negare. Sed hoc dato, dicendum est, Apost. hæc dixisse, non in propria persona, sed ut agentem personam communem hominum; sicut cum dixit Rom. 7. *Lex spiritualis est, ego carnalis sum venundatus sub peccato, quod enim operor, non intelligo.* Vel loquutum fuisse attento modo communi cognoscendi propriam justitiam, seclusa speciali revelatione.

Prob. ex Patribus. Aug. libr. de Perfect. Just. cap. 15. ait: *Quantalibet justitia sit præditus homo, cogitare debet, ne aliquid in illo, quod ipse non videt, invocatur esse culpam.* Similiter SS. Patres non citati. Innocent. III. c. *Acceptus* 5. Decretal. tit. 34. juramentum, quo Archiep. Bisuntinus volebat se purgare a criminibus, de quibus accusabatur tanquam dimissis per penitentiam, reprobat ut indiceretur, temerarium, & ineptum: *Cum B. Job dicat, inquit, etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorat anima mea.* Prob. Ex Concil. Trid. Sess. 6. c. 9. dicente: *Sicut nemo plus de Dei misericordia, de Christi merito, deque sacramentorum virtute & efficacia dubitare debet, sic quilibet, dum se ipsum suamque infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest; cum nullus scire valeat certitudinem fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam esse consecutum.*

Prob. Ratione. Nihil est, unde homo potest certò scire certitudine absoluta, excludente omnem formidinem, se esse in gratia: ergo. Prob. Ant. Quamvis per fidem constet, sincerè diligenti Deum & verè penitenti dari gratiam; neque tamen per fidem, seu revelationem, neque per aliquod aliud testimonium etiam moraliter infallibile, neque per evidentiam certò constare potest certitudine absoluta homini se sincerè diligere Deum super omnia, & esse verè penitentem. Non per fidem, seu revelationem, nullibi enim hoc factum particulare revelatur; non per aliquod aliud testimonium moraliter saltè infallibile, nullum enim assignari potest; non denique per evidentiam, judicium enim humanum hæc de re, est fallax, & cor hominis inscrutabile, semperque ipsi causa subest timendi, ne lateant peccata occulta, *delicta enim quis intelligit? ne dolor de peccatis sit insufficientis; ne desit sibi aliqua dispositio ad susceptionem Sacramenti; ne dilectio, quam putat esse charitatis, sit humana; ne, quod videtur operari propter Deum, sit fœtus amoris proprii; & sic de cæteris, quæ videntur in nobis bona.* Undè Greg. 1. 5. Moral. c. 6. *Sancti viri cum mala superant, sua etiam bene gesta formidant, ne, cum bona agere appetunt, de actionis imagine fallantur; ne pestifera tabes putredinis sub boni specie lateat coloris.*

Secunda pars, scilicet hominem posse scire certò certitudine secundum quid, morali, & conjecturali ex signis & indicis se esse in gratia, a nemine negatur. Colligitur ex Scriptura, quæ hæc signa passim indicat. Triâ referit hic Auctor. Primum est dilectio in rebus divinis audiendis, legendis, meditandis, juxta illud Joann. 8. *Qui ex Deo est, verba Dei audit.* Secundum est contemptus rerum mundanarum; nam diminutio cupiditatis est signum charitatis. Tertium, quod homo non sit sibi conscius illius peccati moralis, sed paratus potius mori, quam Deum offensa. Adde promptam voluntatem exequendi, quæ sunt placita Deo; & humilitatem, *Humili libus enim Deus dat gratiam,* Jacob. 4. Suedet etiam suavis divinx providentiæ dispositio, ut, quemadmodum non oportuit, ut homo omnimodam suæ justitiæ certitudinem haberet, ne in superbiam & presumptionem efferretur: ita congruebat, ut moralem & conjecturalem certitudinem haberet, ne perpetua animi turbatione cruciaretur, sed inter timorem & spem suam salutem operaretur.

Sol-

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. contra 1. partem conclusionis 1. Cor. 2. dicitur: *Nos non spiritum hujus mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est, ut sciamus, quæ a Deo donata sunt.* 1. Joann. 4. *In hoc cognovimus quoniam in ipso manemus & ipse in nobis, quoniam de spiritu suo dedit nobis:* ergo. R. 1. (Ibid. ad 4.) *Hos textus posse intelligi de notitia privilegiata per revelationem; unde Apost. subdit: *Novis autem revelavit Deus per Spiritum S. R. 2. (Ibid.)* Posse etiam intelligi de notitia per fidem habita promissionum & donorum Dei quantum ex parte illius, licet non cognoscamus certò nos habere conditiones, quibus ea dona & promissa mereamur. Duplicitèr ergo possunt spectari dona Dei: 1. ex parte Dei promittentis: 2. ex parte hominis ea, sub certis conditionibus promerentis & recipientis. Primo modo spectata habent omnimodam certitudinem; est enim fidelis Deus in suis promissis. At secundo modo spectata non possunt habere certitudinem nisi conjecturalem; quia homo non potest esse omnimodò certus, se habere conditiones requisitas, ut sit promissionum Dei particeps. Hæc distinctio plures alios similes Scripturæ textus & SS. Patrum excipies.*

Inst. 1. Rom. 8. *Ipse spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei:* ergo. R. eadem ferè solutio. Quamvis enim non sit fallax testimonium Spiritus S. id tamen est fallax, quod putetur esse Spiritus S. testimonium, cum non sit.

Inst. 2. Joann. 13. *In hoc cognoscitis omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Et Ep. 1. Joann. 3. *Scimus, quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres:* ergo. R. iterum eadem solutio, scilicet sinceram ex charitate dilectionem esse judicium certum gratiæ; at nobis non potest esse absolutè certum, quod diligamus proximum vera charitate, & non cupiditate, aut humano affectu.

Inst. 3. Joann. 14. *Vos cognoscetis eum (scilicet Spiritum S.) quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Deinde *In illo die cognoscetis, quis ego sum in Patre & vos in me, & ego in vobis.* R. Posteriora verba ab Aug. & Cyrillo intelligi de die futuri sæculi, in quo viventibus beata vita certissimè cognoscemus, Deum esse in nobis. Si verò hæc & priora referantur ad præsentem vitam; sensus est, quod Apostoli post resurrectionem Christi & adventum Spiritus S. perfectius cognituri erant per fidem Spiritum S. & Christum, eum scilicet esse in Patre per unitatem ejusdem substantiæ, nos, id est, naturam nostram in ipso, & ipsum in nobis, id est, in Ecclesia tanquam ejus caput. Plura alia obijciunt Hæretici tum ex Scriptura, tum ex Patribus, quæ longum esset referre. Videtur possunt apud Sylvium, Bellarm. & alios Controversitas. Interim illa intelligit ad sensum præced. solutionum, vel de certitudine ex parte Dei promittentis, non ex parte hominis recipientis; vel de certitudine ex speciali revelatione; vel de certitudine morali sumpta pro bona fiducia, quæ animi anxietatem & turbationem excludit.

DISSERTATIO VII.

DE JUSTIFICATIONE PECCATORIS.

D. Thom. Quæst. 113.

HUC usquè egimus cum Auctore de necessitate, essentia, divisione, & causa Gratia. Restat agendum de ejus effectibus: quorum duo sunt præcipui, scilicet justificatio impii, & meritum just. De 1. in hæc Dissert. de 2. in seq. dicemus. Justificatio dicitur a justitia. (Hæc q. 113. art. 1.) Passivè sumpta importat motum ad justitiam, sicut calefactio motum ad calorem. Justitia autem cum de sui ratione importet quandam rectitudinem ordinis, dupliciter accipi potest. Uno modo secundum quod importat ordinem rectum in ipso actu hominis respectivè ad alium, & secundum hoc justitia est virtus quædam particularis, de qua hic non agitur. Alio modo dicitur justitia, prout importat rectitudinem quandam ordinis in ipsa interiori dispositione hominis, prout scilicet supremum hominis subditur Deo, & inferiores vires subduntur supremæ, scilicet rationi. Hæc autem justitia in homine potest fieri dupliciter. Uno quidem modo pro modo simplicis generationis, quæ est ex privatione ad formam; & hoc modo justificatio potest competere ei, qui non est in peccato, ut competit Adamo & An-

gelis. Alio modo potest fieri hujusmodi justitia in homine secundum rationem motus, qui est de contrario in contrarium, & secundum hoc justificatio importat transmutationem quandam de statu injustitiæ ad statum justitiæ prædictæ: & hoc modo loquitur hic de justificatione impii. De qua triâ præcipuè queri possunt: 1. an in justificatione peccatum propriè deleatur. 2. an sine gratiæ infusione possit remitti. 3. qui actus ex parte peccatoris requirantur ad justificationem.

ARTICULUS I.

Utrum in justificatione impii peccata sic remittantur, ut verè deleantur & auferantur, & non solum tegantur?

Justificare est justum facere ea justitia, quam modo explicavimus. Potest dupliciter accipi. Primo improprie pro eo, quod est declarare, pronuntiare, reputare aliquem justum, si-ve interim sit revera justus, si-ve non, usu scilicet forensi, dum ju-